



A D  
**PARENTALIA**  
*VIRI SVMMÆ REVERENDI*  
**D N.**

**THOMAE ITTIGII,**  
 S.S. THEOL. DOCTORIS ET PROFESSORIS  
 PVBL. COLLEGII THEOLOGICI ET CONSISTO-  
 RII ELECTORAL. ET DVCAL. ASSESSORIS CA-  
 NONICI MISENENSIS PASTORIS AD S. NICOLAI  
 ET IN DIOECESI LIPSIENSI SVPERINTEN-  
 DENTIS MERITIS SVIS AMPLISSIMIS  
 CELEBERRIMI

*AD D. XV. APRILIS A. MDCCXI.*

LOCO CONSVETO

**ORATIONE SOLENNI**  
 CELEBRANDA

HVMANISSIME INVITAT

**DECANVS**

ET COLLEGIVM THEOLOGORVM  
 IN ACAD. LIPS.





Vriam Romanam per Congregationem, quae ritibus ordinandis praeest, de referendo in ordinem Sanctorum *Stanislae Cusca*, inter Polonos sanctitatis fama illustri, aliisque quibusdam, pro quibuscum ambitu Principes atque Respublicae, iuxta cum monachorum ordinibus, ut illud genus honoris consequantur, contendere solent, ab aliquo tempore consilia egisse, publice litterae haut ita pridem inter reliqua noua retulerunt. Nouum vero admodum id genus honoris est in Ecclesia, noua Episcoporum Romanorum usurpata in eo conferendo autoritas. Sane in Ecclesia illa prima & vere antiqua solenni ritu catalago Beatorum aliquem adscriptum fuisse, ne ipsi quidem affirmare aulint Scriptores Pontificii, multo minus puriore illa Ecclesiae aetate eam sibi potestatem Episcopi Romani vindicare aulsi fuerunt. Habebat quaeuis Ecclesia Episcoporum suorum catalogum, qualibus conficiendis sub finem seculi a Christo nato secundo Hegesippum primum exemplum dedisse, ex Eusebio colligitur. Temporis successu Martyrum quoque catalogi facti fuere, in quos, qui pro veritate ad mortem vsque decertassent, referrentur, neque tamen id vllam consecrationis solennis, quam *Canonisationem* hodie stylo curiae Romanae appellant, speciem habebat. Inse ruiebant enim illi Beatorum martyrum catalogi nulli alii rei, nisi conseruandis & recitandis eorum nominibus, absque omni cultu religioso: qualem Sanctis nullum primis quatuor a Christo nato seculis exhibitum fuisse, ita demonstratum est a Viris eruditiss, vt non opus sit cramben vel centies coctam in istis chartae angustiss recoquere. Erant autem Martyrum huiuscemodi acta adeo rara, vt paucissima inuenirentur ea adhuc aetate, qua Pax Ecclesiis a Constantino M. restituta fuit. Neque fere aliud quidpiam in eis consignatum, praeter nomen martyris, & dies, quo coronatus fuisset, reperiebatur. Praeterea manu consignati erant in eo gnita plerumque, neque adeo illa eorum poterat in Ecclesiis esse autoritas, quae sufficeret recipiendis Sanctis, quibus ille haberetur honor, qui postea in Ecclesia Romana iisdem habitus fuit. Et licet in quibusdam Ecclesiis, antiquis saeculis temporibus, paulo diligentius asseruata acta quorundam martyrum, & publice etiam lecta fuerint, diligentius quoque commemoraciones & memoriae martyrum fuerint institutae, quemadmodum de Ecclesiis Africae ex Canonibus earum, & ex Epistolis Cyprianicis constat, id tamen neque omnibus martyribus, multo minus Sanctis quibusvis obtigit, neque in omnibus Ecclesiis, & ne in ipsa quidem Romana Seculo quinto exeunte obtinuit, neque ea res quidquam cum *Canonisatione* hodierna commune habuit, quippe quae intra solas commemoraciones limites subsisteret. Absurdumque est Casalii commentum, qui modo ex istis antiquitatem consecrationis sanctorum tueri sibi liceat, non dubitat concedere *istis temporibus quemlibet Episcopum potuisse in sua Dioecesi canonizare*, eamque *canonisationem* priuatam vocat, & a publica, quam Episcopis Romanis vindicat, distinguit. Imo potius apparet, ante seculi octauum finem, ne Episcoporum quidem autoritatem ad decernendum qui pro Sanctis in Ecclesia habendi colendique essent interuenisse. Ea enim demum aetate cum ignarissima plebs effraeni impetu ad cultum sanctorum sine omni delectu & adhibito discrimine rueret, in Concilio Francofordensi primum prohibitum fuit, nouos adorare sanctos, aut sacella eis in viis publicis extruere: permittumque, vt illi tantum honorarentur, qui autoritate passionis lae & vitae merito conspicui essent. Cumque abusus in multiplicandis Sanctis, in quibus nihil forte, nisi quod nomine praeferrent, sanctitatis existeret, maiores indies summeret vires circa eadem tempora decretum, vt nouis sanctis sine autoritate *Episcopi* cultus ne deferretur, cuius Ecclesiae autoritate sua, quae vi Canonum ipsi competere, seruata. Ab hoc vero gradu ad magis solennem *Canonisationis* ritum, eiusdemque autoritatem Romanis Episcopis vindicandam progressio facta fuit, quod nimis faciles in admittendis Sanctis alii Episcopi viderentur. Primum vero eius exemplum Leo tertius vulgo statuisse creditur in Suiberto, Frisiorum Episcopo, ipsis seculi IX. initiis. Ita enim Baronius atque Spondanus, Surius item, & post Bellarminum Theologorum Romanensium plerique: ita ex ipsis etiam Protestantibus haut pauci. Verum cum ea res solis Ludgeri, Episcopi Monasteriensis, ad Rixfridum Trajectinum Episcopum litteris natur, in quibus tam multa sublesta fidei argumenta deprehenderunt Viri eruditi, Carolus Cointe, Joannes Mabillonius, & vestigiis eorum

sal. de  
cr. Veter.  
ristian. ri.  
b. Cap.  
XII X p.  
357.

nf. Mabill.  
c. Bened.  
praef. p.  
60.

an. Eccl.  
fr. c. 46.  
onc. T. 2.  
.1071.  
Cyprian. L.  
l. ep. 6.  
Mabill. l. c.  
p. 356.

An. 794. T.  
VII. Conc.  
p. 1063.

Capitular.  
Reg. Franc.  
c. 2. an. 803.  
c. 17. T. I.  
p. 427.

Baron. An.  
904. Spon-  
dan. eo an.  
n. 2.  
Sur. l. Martii  
vit. Suiberti  
append. Bel-  
larm. de Beut  
c. 7.



eorum nuperrime insistens Iacobus Basnagius, vt sine dedecore ad eam prouocare vix liceat, ne eius quidem antiquitatis exemplum *Canonisationum* suarum Ecclesiae Romanae relinquemus. Imo neque Othmarum canonisatione Papali in numerum sanctorum relatum esse Mabillonius concedit, neque Kilianum cum sociis, & Trudpertum eo censu habendos monstratum Papebrochio. \* Joannes XV demum sub finem seculi X papalis canonisationis honore praesentibus Patribus Concilii Lateranensis Vdalricum Episcopum Augustarum affecit. † Neque ab illo tamen quidquam amplius factum, nisi quod memoriam eius deuote deinceps colendam, & cultui diuino consecrandum sanciret. Posthaec indies incrementa cepit ceremoniarum in ea solennitate apparatus, nullam aliam scilicet legem habentium quam Pontificum arbitrium, quod captiuandi simplicium animos aurique captandi artes moderarentur. Vnde magister ceremoniarum requisitus a Leone X, vt traderet formam seruandam in *canonisatione* Francisci de Paula, respondit, nihil se posse certo affirmare, qui diuersa a diuersis audierit, neque in suis libris certam formam inueniret, atque in omnibus *canonisationibus*, quarum exempla inde ab A. 1446 vsque ad 1485 allegabat, diuersas obseruatas esse ceremonias docuit; vnde & ipse aliam formam Leoni X exhibuit, quae in canonisatione Francisci de Paula obseruata fuit. Habetur interea certa canonisationis forma in *ceremoniali Romano*, \*\* quoad maximam partem hucusque obseruari solita, nisi quod pro cuiusuis aetatis ingenio noua illi pompa a vario ornatus genere accederet: quemadmodum ex processu *Canonisationis* quinque nouorum sanctorum sub Pontificatu Alexandri VIII. d. XVI Octob. c. 13c XC peractae affatim patet. †† Haec ipsa ceremoniarum pompa iuxta cum donis Pontifici Romano, eiusque agnatis, & officialibus, offerendis, facit ad eam summam vt plerumque; canonisationis sumtus excrescant, vt integris provincis exhauriendis vna sufficiat *canonisatione*. Et sane absque eo magis Sanctorum nominibus Calendaria, quam Democriticis idolis aer, scaterent. Hoc enim est quod, vt alia taceamus, Frederici Borromei canonisationem remoratur tamdiu: Veretur nempe vrgere honores ciuitas Mediolanensis, quos pro Carolo Borromaeo vix centum mille Imperialium pretio obtineri potuisse meminisset. Et quamuis peculiari Bulla Innocentius XI illum in *canonisationibus* abusum taxasset, & ne turpis Simonia tam sancto opere committeretur cauisset, exiguum tamen eius bullae auctoritatem fuisse modo memorata sub Alexandro VIII *Canonisatione* docuit: pro qua, nomine cuiusvis quinque nouorum Sanctorum, Scutorum millia quinquaginta exsolui oportuit. Hinc vero inter alia illa Episcoporum Romanorum in vindicando sibi hoc iure seueritas, quam affatim loquuntur leges Alexandri III & Innocentii III, quibus sub comminatione grauisimarum poenarum interdicitur, ne Sancti cuiquam, etiam dono miraculorum illustri, honor habeatur; cui Ecclesiae Romanae iudicio ille decretus non fuerit. At in quonam consistat ille honor videndum: septem nempe illum articulis definiunt Romanae Ecclesiae Doctores: *Primo* inscriptione in catalogo SS. vt scilicet ab omnibus publice habeantur & dicantur Sancti. *Secundo* inuocatione in publicis Ecclesiae precibus: *Tertio* templorum & ararum in eorum memoriam extructione: *Quarto* Sacrificiorum tam Eucharistiae, quam laudum & precum, in honorem eorum Deo facta oblatione. *Quinto* dierum festorum in memoriam eorum celebratione. *Sexto* Imaginum eorundem cum nimbo repraesentatione: *Septimo* reliquiarum eorundem cultu: quibus *ostium* iungit ex Patribus Soc. Iesu Guesnaeus, permissionem nempe votorum ipsis faciendorum, & suscipiendarum in honorem eorum peregrinationum religiosarum. Sed quo quaeso iure Episcopi Romani priuilegia illa conferenda sibi vindicant? Quis post decem demum secula nouam hanc auctoritatem potuit stabilire? Quid ille sibi vult ceremoniarum fastus? quid cultus superstitiosus, Paganorum, *αποθεωσις* magis, quam Christianam deuotionem referentes? Neque sane illam cognitionem *canonisationum* suarum cum superstitiosis illis Graecorum Romanorumque consecrationibus ipsa dissimulat Ecclesia Romana, quae in *ceremoniali Romano* diserte eam *diuorum nostrorum apotheosin* vocat, vt scilicet complementum acciperet vaticinium Ioannem, quo *Bestia secunda imaginem primae restitutura*, dicitur. Sed illa prolixius vrgere huius chartae angustiae vetant: vnum silentio praeterire non possumus, quod scilicet fide certa niti non liceat Romani Episcopi de Sancto iudicio: quoposito summum periculum minetur necesse est animabus hominum, cultu

Cointe An-  
 nal. Ecll.  
 Franc. ad  
 Ann. 779.  
 n. 31. ad an.  
 749. n. 52.  
 an. 754. n. 78  
 Mabillon.

l. c.  
 Basnage  
 Hist. Ecll.  
 \* Papebr. T  
 11. p. 1293.  
 Embolisma.  
 ad Acta  
 sanct. I. Iuni  
 p. 95.  
 † Mab. 993  
 Papebr. 98:  
 Casal. l. c.  
 p. 339.  
 \*\* L. l. c. V  
 †† Itiner. Ita  
 Frburg. 176  
 p. 163.

Bellarmi. d  
 sanct. Beati  
 L. l. c. VII.  
 p. 426.

in Cassiane  
 illustr. L.  
 6. 14. p. 28

praef. L. II  
 Apoc. XI



I. e. sub fin. cap.  
Bellarm. l. c. c. IX.  
Casal. l. c. cap. 70.  
Romae 1568 & 1628. e. ditum.  
L. I. sect. VI. c. I.  
adde Ange- lum Rochae de canoni- cat. SS.  
Gerf. de Exa- minib. do- ctrinaru t. I. Tract. de Ideo Humana. l. c. 3. p. 301.  
L. I. se. VI. c. L.

cultu religioso prosequentium damnatos pro beatis, quod tempore S. Martini & Alexan- dri III factum obseruat Bellarminus. Id vero genus cultus abominandum magis videri poterat, quam quod fideribus coeli aliisque creatis rebus praestant idololatrae pagani. Idque tantum visum est Ecclesiae Romanae Doctoribus incommodum, vt inde petito argu- mento praecipue nitantur, ostensuri, recte Sanctorum *canonisationem* non cuiusvis Episcopi arbitrio, sed Ecclesiae eiusque capitis decretis esse referendam. Atque eam ob causam nihil non mouent Cardinalis Bellarminus, Io. Bapt. Casalius, atque alii, vt demonstrent, Pontificem non errare in Sanctorum *canonisatione* credendum esse, imo peculiari opere id egit Lucas Castellinus, quod *elucidarium* vocat *Theologicum, de certitudine gloriae Sancto- rum Canonizatorum*. Verum hoc negare non possunt, omne illud iudicium vnice *facta* respicere, sunt enim requisita ad Canonisationem, auditis *testibus*, vt expresse habet *Cere- moniarum sacrarum liber*, exploranda, *sanctitas & excellentia vitae, puritas fidei, & patri- tio miraculorum*. Iam vero magna pars Theologorum Ecclesiae Romanae defendit, Ecclesiam, ipsumque adeo Papam, in rebus facti fallere atque falli posse, quemadmodum in ea sententia est Gerson, quam etiam superiore & nostra aetate omnis amplexa est Ianfenii schola. Aliis interea defendentibus, *† moraliter impossibile esse vt in huiusmodi rebus Papa fallatur, si debita in examine cura ab eo adhibita fuerit*. Quae tamen *moralis* impossibilitas, cum omnem formidinem contrarii non excludat, *moralē* tantum parit certitudinem, qualis sufficere nequit, vbi idololatrae periculum immineat. Imo quid fiet *canonizationibus*, Pontificibus inuictis aliquando extortis, atque adeo contra proprium eorum de *canonisatione* iudicium factis? qualium mentio in saepe allegato *libro ceremoniarum*, \* vbi hodie fere protestationem Pontificis in *canonisationibus* cessare memoratur, quia hoc olim introductum fit ex quadam causa: *quia Papa tunc quodammodo cogeatur ad canonizandum quendam, contra suam opinionem, & propterea protestabantur, nunc autem non videri congruam illam protestationem*.

Nobis quidem, qui superstitionum superatis tenebris puriorem lucem contuemur, nihil cum Pontificiis illis *canonisationibus*. In pretio vero, vt apud Deum, ita & apud nos est *Sanctorum eius memoria*: sed procul omnis superstitio! Equidem non displicet Ecclesiastici factum, qui, vt loquitur Bellarminus, *canonizauit*, plurimos Sanctos, vt Henoch, Noe, Abraam &c. Non displicet quae Lucae ab eodem tribuitur Stephani, Iacobi, Petri, Pauli &c. *canonisatio*, sed quam dissimilis illa Pontificiae est! Hac missa illam imitemur, *laudantes viros gloriosos, & parentes in generatione sua*. In his fidei puritate vitaeque sanctitate, & doctrinae splendore longe illustrior extitit, quam multi quorum hodie in Calendariis SS. ex *canonisatione* Pontificia, nomina resurgunt, Collega noster desideratissimus, vir merito suo dum inter nos esset Summe Venerandus, THOMAS ITTIGIVS, S. Theol. D. & Prof. P. Facult. Theol. & Consist. Elector. & Ducal. Assessor, Canonicus Misenenfis, Pastor ad S. Nicolai, & in Dioecesi Lipsiensi Superintendens, cuius amplissimis meritis pariter vt satisfaciamus, ac nostrae in manes eius pietati, solenni parentatione, eum inter viros gloriosos laudabimus. Opera ea defungetur Maxime Reverendus Collega noster, IO. FRIDER. BOERNERS, Sacrarum Litterarum Doctor, & Professor extra ordinem publicus, Humaniorum vero litterarum Professor Ordinarius, Facultatisque Philosophicae & Collegii Ducalis Collega, quem vt tera oratione, & graui, B. ITTIGII nostri virtutes celebrantem, & nostrae aetati pariter ac venturis ad imitandum proponentem, in Auditorio Collegii Principum Maiori, ad d. XV Aprilis, peractis Sacris Matutinis, quo ante hunc annum funus eius extulimus, benevole audire RECTOR ACAD. MAGNIFIC. & REIPUBL. PROCERES VTRIVSQUE, vna cum ceteris ACADEMICIS dignentur, humanissime atque officiose rogamus. Hoc genus officii vt iure quodam suo postulant B. ITTIGII merita ita omni genere obsequiorum & nos, & Maxime Reuerendus Orator, vicissim demereri studebimus. P.P. Dom.

Qualisimodogeniti A. cl. 1621.

LIPSIÆ, LITTERIS IO. SAM. FLEISCHERII.



1225  
2



A D  
**PARENTALIA**  
*VIRI SVMME REVERENDI*  
**D N.**  
**THOMAE ITTIGII,**  
 S.S. THEOL. DOCTORIS ET PROFESSORIS  
 PVBL. COLLEGII THEOLOGICI ET CONSISTO-  
 RII ELECTORAL. ET DVCAL. ASSESSORIS CA-  
 NONICI MISENENSIS PASTORIS AD S. NICOLAI  
 ET IN DIOECESI LIPSIENSI SVPERINTEN-  
 DENTIS MERITIS SVIS AMPLISSIMIS  
 CELEBERRIMI

*AD D. XV. APRILIS A. MDCCXI.*

LOCO CONSVETO

**ORATIONE SOLENNI**  
 CELEBRANDA

HVMANISSIME INVITAT

**DECANVS**

ET COLLEGIVM THEOLOGORVM  
 IN ACAD. LIPS.

